



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Divi Thomae Aqvinatis Doctoris Angelici Opera Omnia

Summa diligentia ad exemplar Romanæ Impreßionis restituta

Complectens Quæstiones, Qvæ Disputatæ Dicuntvr, & Quæstiones
Quodlibetales, siue Placitorum eiusdem S. Thomæ

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Venetiis, 1593

18 Vtrum periurium sit grauius peccatun quàm homicidium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72780)

ARTICVLVS XVIII.

Vtrum periurium sit grauius peccatum quam homicidium.

CIRCA secundum sic procedebatur. Videtur, q̄ periurium sit grauius peccatum quam homicidium. Dicitur. Bernardus q̄ contra præcepta primæ tabulæ non potest dispensare nec Deus, nec homo: contra præcepta autem secundæ tabulæ potest dispensare Deus, sed non homo, ex quo potest accipi, quod grauius sit peccare cōtra præcepta primæ tabulæ: quàm contra præcepta secundæ: sed periurium est contra præceptum primæ tabulæ, quod est, Non assumes nomen Dei tui in vanum: homicidium autem est contra præceptum secundæ tabulæ, Non occides. ergo grauius peccatum est periurium quàm homicidium.

¶ **P**ret. Grauius est peccare in Deum, quàm in hominem: sed periurium est peccatum in Deum, homicidium in hominem. ergo grauius peccatum est periurium quàm homicidium.

SED CONTRA. Poena proportionatur culpe: sed grauius punitur homicidium quàm periurium. ergo est grauius peccatum.

RESPON. Dicendum, q̄ sicut Apostolus dicit ad Hebr. 6. Homines per maiores se iurant, & omnis controuersie eorum finis est iuramentum. Frustra autem in causa homicidij controuersie finis est iuramentum, si homicidium esset grauius peccatum quàm periurium, præsumeretur enim quod qui maiorem culpâ homicidij commississet, non vereretur minorem periurij incurrere: unde ex hoc ipso quod in causa cuiuslibet peccati defertur iuramentum, manifeste ostenditur, q̄ periurium pro maximo peccato debet haberi, nec immerito: quia periurare nomen Dei, videtur quadam diuini nominis denegatio, unde s̄m locum post idolatriam peccatum periurij tenet, vt ex ordine præceptorum apparere, sed & apud gentiles iurandum erat honoratissimum, vt dicitur in 1. Metaphysices.

Primas autem rationes concedimus.

Ad illud vero quod in contrarium obijcitur, dicendum, quod in iudicio humano non semper quantitas pene respondet quantitati culpe. Interdum. n. infligitur maior pena pro minori culpa, q̄ grauius nocuumentum imminet hominibus ex minori culpa, sed s̄m Dei iudicium grauior culpa grauiori pena punitur, unde vt ostendatur grauitas idolatriæ & periurij, postquam in primo præcepto dixerat, Non adorabis ea, neque coles, subditur Exodi 27. Ego sum Dominus Deus tuus visitas iniquitates patrum in filios: & postquam dixerat, Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum, subditur, Nec enim habebit in fontem Dominus cum, qui assumpsit nomen Domini frustra.

ARTICVLVS XIX.

Vtrum faciens contra constitutionem Papæ per ignorantiam, non peccet.

AD TERTIVM sic proceditur. Videtur, quod qui facit contra constitutionem Papæ per ignorantiam, non peccet. Vt. n. Aug. dicit Peccatum adeo est voluntarium, quod si non est voluntarium, non est peccatum: sed ignorantia causat inuoluntariū, vt dicitur in 3. ethicor. ergo quod fit per ignorantiam, non est peccatum.

¶ **P**ret. Secundum iura Dominus potest repetere ser-

Auum suum ordinatum post certum tempus: hoc autem debet computari a tempore ordinationis, non a tempore notitiæ. ergo obligatio constitutionis papæ obligat a tempore notitiæ.

SED CONTRA. Ignorantia iuris non excusat: sed constitutio papæ facit ius. ergo qui facit contra constitutionem papæ per ignorantiam, non excusatur.

RESPON. Dicendum, q̄ ignorantia quæ est causa actus, causat inuoluntarium. Unde semper excusatur, nisi ipsa ignorantia sit peccatum. Est autem ignorantia peccatum, quando ignorat quis quæ potest scire, & tenetur. Constitutione enim papæ omnes suo modo scire tenentur. Si ergo aliquis nesciat per negligentiam, non excusatur a culpa, si contra constitutionem agat. Si vero aliquis habeat sufficiens impedimentum, propter quod scire non potuerit puta, si fuit in carcere, vel in terris extraneis, ad quas constitutio non peruenit, vel propter aliquod simile, talis ignorantia excusatur, vt non peccet contra constitutionem papæ agens.

Et per hoc patet solutio ad obiecta.

ARTICVLVS XX.

Vtrum monachus peccet mortaliter comedendo carnes.

CIRCA quartum sic proceditur. Vt q̄ monachus peccet mortaliter comedendo carnes. Dicitur enim, canon de consecratione dis. quinta c. Carnem, q̄ monachi non debent comedere carnes, & si contra fecerint, debent in carcerari. sed talis poena non infligitur, nisi pro peccato mortali. ergo monachi comedentes carnes peccant mortaliter.

¶ **P**ret. Facere contra votum est peccatum mortale: sed monachi ex voto obligantur ad seruandam regulam beati Benedicti, in qua continetur, quod monachi a carnibus abstineant. ergo monachi peccant mortaliter comedendo carnes.

SED CONTRA. Nullum peccatum mortale conceditur alicui ratione cuiuscunque infirmitatis: sed comedere carnes conceditur monacho ratione infirmitatis. ergo comedere carnes non est peccatum mortale monacho.

RESPONDEO. Dicendum, quod nihil est peccatum mortale monacho, vel religioso cuiuscunque per se loquendo, quod non sit peccatum mortale alteri, nisi sit contrarium ei, ad quod se voto professionis obligauit, p̄ accidens tamen, ut ratione scan dali, vel alicuius hmoi possit aliquid ei esse peccatum, quod non esset alii peccatum. Est ergo considerandum quid sit illud, ad quod religiosus voto professionis se astringit, & siquidem religiosus p̄fitendo voueret se regulam seruaturum, videretur se obligare voto ad singula quæ continentur in regula: & sic contra quodlibet eorum agendo peccaret mortaliter. Et ex hoc sequeret q̄ religionis status esset religiosus in laqueum peccati mortalis, quod vix, aut nunquam possent declinare. Sicut ergo patres qui ordines instituerunt, nolentes hominibus iniicere damnationis laqueum, sed magis uiam salutis, ordinauerunt talem professionis formam, in qua periculū esse non possent: sicut in ordine fratrum predicatorum est cautissima & securissima forma profitendi, qua non promittit seruare regulam, sed obedientiam s̄m regulam, vñ ex voto obligantur ad seruanda ea quæ ponunt in regula tanquam præcepta: & quæ plausus s̄m tenore regulæ sibi precipere uoluerit. Cetera uero quæ non continentur in regula sub præcepto non cadunt directe sub uoto, unde ea p̄mittens non

non

de malo.
1. 2. q. 1.
c. 1. q. 1.
c. 1. q. 1.
c. 1. q. 1.
c. 1. q. 1.